



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. Unde impeccabilitas Christi oriatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

qui poneret in Christo gratiam etiam infinitam entitativè, non ita exaltaret humanitatem Christi, ut positâ illa infinitâ gratiâ, poneret aliquod condignum excellentiæ Christi. Ratio: quia adhuc illa infinita entitativè gratia, erit quid creatum, æquabile ab alio creato; jam autem excellentia Christi personalis, est infinita, & inadæquabilis.

Quod attinet ad gratiam Capitis. Suar. & Vasq. censent, illam esse eandem cum gratia habituali; dicuntque quod illa qualitas, in quantum est singularis hujus humanitatis, allativa eidem suæ excellentiæ, vocatur gratia; & in quantum est principium merendi aliis, vocatur gratia Capitis. Amicus autem disp. 17. num. 36. dicit, gratiam capitis esse gratiam unionis.

ASSERO cum distinctione; Si nomine gratia Capitis intelligas, gratiam infinitam merita, & satisfactionem, ad debellandum infinitum offensæ; sic gratia Capitis, non aliud est, quam gratia unionis.

RATIO: Quia hoc significativum non aliunde habetur, quam à persona unita, infinitè dignificante.

Si autem nomine gratia Capitis intelligas, gratiam que est completivum principium naturæ humanæ, in ratione connaturalis agentis supernaturalis, quorum tamen derivatio est ad bonum membrorum; sic gratia Capitis erit gratia habitualis.

RATIO: Quia nulla est necessitas illius distinguendæ.

DIFFICULTAS III.

De Impeccabilitate Christi.

SANCTitati conjungitur impeccabilitas. Licet hanc quæstionem tractent aliqui, ubi agunt de defectibus à Christo assumptis, uti Suar. disp. 33. & Amicus disp. 24. alii, cum tradunt de libertate Christi, quam utramque quæstionem conjunxit Lugo, disp. 26.

In hac quæstione certum est, defecto Christum non peccasse, fundatur id in pluribus locis Scripturæ. Clarus est ille Joan. 6. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & ille; *Qui peccatum non fecit.* Examinandum superest, unde impeccabilitas ista Christi orta sit? & an illa sit physica, an moralis? &c.

Punctum Difficultatis I.

Unde Impeccabilitas Christi oriatur?

PRÆMITTO I. *Posse oriri impeccabilitatem Christi, & defecto totaliter, in suo ordine, ortam esse, ex visione beatifica.*

RATIO: Quia si visio beatifica, est in beatis principium impeccabilitatis, non videtur, cur illam non fundarit etiam in Christo?

PRÆMITTO 2. *Posse oriri impeccabilitatem, ex gratia prædeterminante physice, defecto tamen non esse ortam.* Quod potuerit oriri.

RATIO est. Quia concessimus aliàs possibilem esse gratiam prædeterminantem; ergo etiam possibilis erit gratia, prædeterminans ad impeccabilitatem; ergo ulterius possibile fuit, illam dari in Christo.

Defecto tamen non esse datam.

RATIO est. Quia non est data respectu operationum Christi liberarum; nam gratia prædeterminans, ut suppono, destruit libertatem, non etiam data est ad actus necessarios; quia esset otiosa: cum illâ etiam non positâ, aliunde fuerit determinatus Christus ad non peccandum, nec datur aliunde exigentiâ illius ponendæ: sicut datur necessitas ponendæ visionis in Christo, quamvis aliunde redditus sit etiam impeccabilis Christus.

PRÆMITTO 3. *Posse oriri impeccabilitatem Christi, ex unione hypostatica; ita, ut illâ stante, indispensabiliter, etiam de potentia absoluta, impossibile fuerit Christum peccare.* Hæc indispensabilitas vocari solet, impeccabilitas physica, hoc est naturalis, naturam pro essentia, sumendo. Et de hac in præsentia decidi debet. Negat Christus impeccabilitatem istam physicam Durandus, Scotus, Pontius, q. 11. n. 29. Affirmat S. Thomas, Suar. Lugo, Amicus.

DICENDUM est. *Vi unionis hypostaticæ reddit Christum impeccabilem; consequenter, esse in illo physicam impeccabilitatem.*

PROBATUR I. Authoritatibus, quas fuscitat Suar. ex illarum tamen plerisque non plus elici potest, quam, quod natura assumpta peccare non potuerit; sed non dicunt expresse, id fuisse habitum formaliter ex vi unionis. Affertur, quæ videntur clariores.

I. Sit Origen. 2. Periarchon. cap. 6. *Ferrum inquit, natura sua capax & caloris & frigoris, sitamen semper intra fornacem ignis contineatur, dici poterit incapax frigoris: sic, Christi anima in Deo semper existens, quidquid agit, quidquid intelligit, Deus est; & ideo inconvertibilis est, & immutabilis, quæ inconvertibilitatem, ex Dei Verbi unione indeficienter ignita possedit.*

II. AUTHORITY est. Athanasii, inserta 6. Synodo actione 8. Cum enim Apollinaris negaret, Christum animam & voluntatem humanam habere: idque ideo, ne concedere cogetur, illum esse capacem peccati. Respondit Athanasius, inquit Suar. *nihil esse timendum; quia per ipsam assumptionem, illa voluntas impeccabilis facta est.*

3. AUTHORITY est Augustini lib. de Correctione & gratia cap. 11. *Neque metuendum erat, inquit, ne isto ineffabili modo, in unitatem personæ, à Verbo Deo, humana natura suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis, à Deo ita suscepta, nul-*

luminis in se motum mala voluntatis admitteret. Similia habet Enchyridii cap. 40. ubi de Christo loquens. In ipso, inquit, exordio natura sua, quo esse cepit, Verbo Dei copularetur in tantam personam unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui Filius hominis, & Filius hominis qui Filius Dei; ac sic, in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. Coincidit locus Fulgentii lib. 3. ad Thrasimundum. Propterea, inquit, Christi humanitas sine peccato permansit; quia eam in unionem personæ divinitatis accepit, quæ naturaliter peccare non potest.

RESPONDEBIS, quod PP. citati, referant quidem id in assumptionem; sed non dicunt, etiam per absolutam potentiam, Christum peccare non posse.

CONTRA: Tum quia, verba Patrum simpliciter sunt accipienda, nisi aliquid obsit; simplicius autem accipientur, si ponatur, quod id, ne quidem de absoluta potentia, in Christo evenire possit. Tum quia, si absurdum est dicere, quod Christus actu peccaverit; absurdum etiam erit dicere, quod de absoluta potentia peccare potuerit. Tum quia Fulgentii autoritas, videtur id velle, scitum enim est, Deum, ne de absoluta quidem potentia, peccare posse.

Probare Conclusionem ratione paulò difficilius censent authores.

Expenduntur rationes pro Conclusionem.

1. RATIO afferri potest. Impossibile est, etiam de absoluta potentia, actionem, quæ non potest non esse Deo grata, esse peccaminosam, Deo exosam, seu Dei offensivam; at quælibet actio, humanitatis Verbo hypostaticè unitæ, non potest Deo non esse grata; ergo eam impossibile est, de potentia absoluta, fieri peccaminosam: adeoque Dei offensivam: ergo ulterius, impossibile est, humanitatem unitam hypostaticè Verbo posse peccare, de potentia absoluta. Major per se constat; quia impossibile est, opus gratiæ, esse Dei offensivam, seu peccatum; sicut impossibile est, opus luminis esse opus tenebrarum. Minor probatur: Impossibile est actionem, quam afficit gratia unionis, posse esse Deo non gratam; sed quamlibet actionem humanitatis, unitæ Verbo hypostaticè, afficit gratia unionis; ergo quælibet actio, humanitatis unitæ Verbo, non potest non esse Deo accepta. Minor probatur. Quamlibet actionem humanitatis unitæ Verbo, terminat Verbum; quia actiones humanitatis, sunt actiones Verbi, non solum imputativè, sed verè & physicè: hoc autem non aliud est, quàm, quamlibet actionem, humanitatis unitæ Verbo, affici unionem. Illustratur hoc argumentum, instantiæ de gratia habituali, quæ cum afficit aliquod

opus, impossibile est illud opus, esse peccaminosum.

RESPONDERI potest. Imprimis hoc argumentum videtur supponere aliquid falsum: nempe actiones humanitatis terminari à Verbo; quæ tamen sunt interminabiles, cum non sint substantia. Sed independenter ab hoc principio, argumentum nondum convincit; probat enim multum: quia probat, quod si per impossibile v. g. mentiretur Deus, vel humanitas assumpta, illud mendacium non sit futurum peccatum, esset enim Deus; consequenter probatur, Deum posse exercere actiones essentialiter malas; quia illæ, hoc ipso, quod exercerentur à Deo, fierent optimæ: nam essent Deus substantialiter; & exercitæ à Christo, dicerent rationem actionum affectarum unionem hypostaticam. Et certè, antecedenter antequam cogitetur, à Deo fieri illas actiones, habetur illarum dissonantia; hinc quamvis intelligeretur Deus illas exercere, adhuc essent malæ; quærere ergo restabit, cur illas etiam Christus exercere non possit in natura assumpta?

2. RATIO est Vasquez. Unio hypostatica est formalis sanctitas, cum qua magis pugnat peccatum, quàm cum gratia adoptionis: implicat autem, cum gratia adoptionis, peccatum.

RESPONDERI potest, non esse demonstratum, quod peccatum non possit simul stare cum gratia, & de facto negat id Suarez, & multi post illum. Et certè qui negat, cum unionem hypostaticam, non posse stare peccatum, negabit etiam de gratia sanctificante.

3. RATIO est, quæ utitur Lugo. Quia humanitas illa, ut dictum supra, sanctificatur sanctitate infinita: adeoque infinite, in genere sanctitatis participatæ; ergo sanctificatur, quantum fieri potest, in genere sanctitatis participatæ. Cum itaque non repugnet, ex conceptu suo, in ordine creato, aliquam creaturam ita esse sanctam, ut, in sensu composito formæ sanctificantis, repugnet illi peccatum grave: necesse est hunc effectum formalem tribui humanitati, ab infinita sanctitate, quæ sanctificatur; quia summa sanctitas, debet reddere subiectum summè sanctum, quantum subiectum illud intelligi potest capax sanctificari.

RESPONDERI potest. Hoc argumentum imprimis non esse positivum, quale fortè prætendebat asserre Lugo, sed merè negativum; sistit enim in hoc principio; Non implicat contradictionem, talem impeccabilitatem communicari humanitati: verterentque Scotistæ; Non implicat contradictionem, non tribui à sanctitate summa, summam sanctitatem subiecto. Præcipuè, quia apud Lugo, non valet hæc consequentia; Album ut 8. reddit subiectum album ut 8. ergo & sanctitas infinita, faciet subiectum infinite sanctum: ut colligi potest ex doctrina illius, quæ docet; infinitam sancti-

tate

tate Verbi, non nisi finitè sanctificari humanitatem. Vel, si implicat contradictionem, à summa sanctitate Verbi non tribui summam sanctitatem humanitati; restituent argumentum Scotistæ, & dicent; non implicare contradictionem, ut, cum summa sanctitate participata, stet peccabilitas humanitatis; quamvis non sit peccaturus actus, aut de lege ordinaria. Rursus idem argumentum in principiis Lugo multum probat, quod sic ostenditur; Non implicat contradictionem, à summa sanctitate Verbi tribui summam sanctitatem, impossibile cum habitu vitioso, cum actus objectivè & materialiter pravo: ergo illam defacto tribuit Verbum humanitati; quæ consequentia est falsa apud Lugo, qui possibile esse utrumque hoc asserit. Præterea, possibile est, tribui à Verbo dignitatem talem humanitati, ut cum illa dignitate non possit stare debitum penæ ullius, & cætera similia, quæ negat Lugo.

In forma autem responderi sic potest: Sanctificari scilicet humanitatem, quoad formam unitam humanitati, summè; sed non sanctificari summè, in ordine ad oppositionem cum peccato; idque propterea, quia non implicat contradictionem, cum summa sanctitate personali, in natura, ab illa personalitate distincta, stare rationem peccabilitas.

4. *RATIO* est; quæ utitur Suarez, Valentia, Amicus. Quia si peccaret humanitas, peccaret Verbum, non tantum per communicationem idiomatum, & in assumpta natura, verum etiam intrinsecè, & in propria natura, quod ipsum probatur. Verbum enim, per unionem hypostaticam, fecit sibi suam naturam humanam; non minus, quam quodlibet suppositum facit sibi suam naturam, cuius est suppositum: ergo tenetur illam regere ut suam, in omnibus actibus; ergo si in aliquo deficeret, defectus imputaretur Verbo, ut causæ particulari suppositanti. Et quia agere contra debitum, est intrinsecè malum; ideo enim creatura peccat, quia facit contra debitum rationis: ergo etiam peccaret Deus, si per impossibile, faceret contra debitum rationis; ergo, cum Verbum debeat regere humanitatem ut suam, si illam permitteret peccare, faceret contra debitum, adeoque peccaret. Illustrari hoc solet instantiâ ab anima rationali, quæ unita corpori contrahit naturale debitum regendi corpus suum, & defectus corporis imputantur animæ, defectusque appetitus inferioris imputantur appetitui superiori. Illustratur item instantiâ, petita ex subordinatione servi ad dominum, filiorum ad Patrem; in quibus omnibus, superior tenetur regere inferiorem: Ergo etiam ex unionem, incumbet Verbo, regere humanitatem; & nisi eam regat, redundabit defectus in Verbum. Totum id infundat huic principio Amicus. Quia scilicet, quoties duo uniuntur in eadem natura,

vel persona, inferius naturaliter subordinatur superiori; & consequenter, superiori incumbit cura regendi inferiorem, cum enim nequeant duo invicem unita, non manere invicem subordinata, necessario dicitur inferius subordinari superiori: & consequenter, superius reget inferius: quod etiam docuit Epiphanius in Ancorato, ubi in id refert impeccabilitatem Christi, quia, inquit, *Verbum virtute sua frangebatur inferiorem naturam, ab omni inutili carnali turba.*

RESPONDERI potest. Quod nulla specialis gubernatio, humanitatis assumptæ, spectat ad Verbum, quæ non spectet ad reliquas Trinitatis personas; sed reliquæ Trinitatis personæ, ex vi illius gubernationis, non tenentur impedire peccatum humanitatis: ergo nec tenebitur Verbum. Minor probatur, quia etiam oppositi non agnoscunt hanc obligationem in reliquis personis. Major probatur: quia illa specialis gubernatio, debet esse actus quidam domini, & exercitium potestatis, supra humanitatem; nullum autem speciale dominium, & exercitium potestatis habet Verbum, respectu humanitatis, quia hoc dominium, & exercitium potestatis est aliquid ad extra: omnia autem opera ad extra, sunt communia toti Trinitati. Rursus, quia ita obligatur suppositum divinum ad gubernandam humanitatem in suo genere, sicut suppositum creatum obligaretur, etiam ex suo genere, ad gubernandam eandem, si fuisset terminata illa natura propriâ subsistentiâ; sed suppositum creatum non fuisset obligatum, ad gubernandam illam naturam. Quod ipsum probatur: quia illud suppositum, vel est modus, vel realitas superaddita, vel formalitas; nulli autem ex his illa gubernatio competit; cum gubernatio sit actus profectus à principio cognoscitivo: modus autem, & realitas, & formalitas illa, vim hanc non habent. Porro ad nihil plus tenetur, vi unionis, suppositum increatum respectu naturæ, nisi, quod præstitisset in suo ordine subsistentia creata. Et sic, quia subsistentia creata, in suo ordine dignificat actiones; dignificabit etiam in suo ordine, adeoque divinificabit suo modo operationes subsistentia increata: Quia subsistentia creata perficit naturam in suo ordine ad operandum: perficiet etiam subsistentia increata: & quia nullum speciale regere est in persona creata; nec erit in persona divina, licet illa sit cognoscitiva. Et certè, hoc quod est terminare personaliter, & facere subsistere præcisè, & formaliter, non dicit quidquam, quod fiat vitali modo, sed facit hoc suppositum ut ita dicam, mortuo modo; cum autem iste actus gubernationis fiat vitali modo, non videtur, unde oriatur ista obligatio gubernandi, ex vi præcisè personationis.

Denique Major illa probatur. Quia ista obligatio gubernandi, vel est ex vi & essentia suppositandi

finandi & terminandi naturam : vel ex vi terminandi, hac speciali, hoc est divinâ. Non ex vi & essentia suppositandi in communi. Tum quia, ut dixi, suppositum quâ tale, habet se mortuo modo circa actiones. Tum quia, si ista gubernatio provenit ex vi subsistendi, hoc ipso deberet supponere potestatem istius gubernationis, quæ tamen non supponitur, ut dictum. Tum quia, ut concedit Suarez, casu, quo Angelus assumeret hominem, non haberet naturam angelicam vim gubernandi voluntatem hominis, ducendique pro suo arbitrio. Quod si ea obligatio provenit, non nisi ex hac speciali ratione terminandi divinâ; non debebat assumi, quod ita obligetur persona divina, dirigere humanitatem assumptam, sicut fuisset obligata persona creata; ergo ulterius ostendere debes, cur in suo ordine divino, facere aliquid deberet persona increata, quod non fecisset creata.

Ad ea quæ attulit Aldrete, disp. 69. solvenda.

Ad 0. Nego, quod tunc Verbum in propria sua natura peccaret. Nego, quod illam teneretur regere, in omnibus actibus. Nego, casu, quo deficeret humanitas, defectum imputandum Verbo. Quæro, unde sit potestas specialis regendi humanitatem titulo unionis? Non habet se Pater æternus respectu humanitatis præcisè ut dominus, qui tenetur peccata servorum impedire, cur se ita habebit Verbum? & hoc potius erit resolutivum impeccabilitatis. Quid item facit major illa conjunctio cum Verbo, ut inferat obligationem? illud quæ ipsum, ex quo oriatur illa obligatio, erit salvativum impeccabilitatis. Concedo, quod Deus non teneatur impedire peccatum filii adoptivi. Concedo, quod magis propinquum reddat unio hypostatica. Concedo, quod reddat humanitatem, dignam latrâ immediatâ supremæ. Sed quærere restat; cur exinde sequatur impeccabilitas? Addo, quod non teneat paritas, ex eo, quod Dominus v. g. teneatur impedire peccatum servi, teneri ad id Verbum. Quia nec tenet paritas, simpliciter ad Deum; cujus major est connexio, propter transcendentalem ordinem creatoris ad creaturam: quàm sit connexio Domini ad servum. Et sicut titulus causæ primæ id excusat, cur non excusabit in Verbo, respectu humanitatis? & quæ legitima ratio hujus assignabitur, illa salvabit impeccabilitatem Christi. Quod autem ille dicit, etiam Patrem æternum habere specialem obligationem, ne Christus Filius suus naturalis peccet; id non videtur stare: quia cum hæc obligatio oriatur, per Aldrete, ex suppositione unionis hypostaticæ, cum illam non dicat Pater, præcisè Patri non deberet defectus ille tribui.

Dices. Gubernationem illam spectare ad Personam Verbi, non quocunque modo, sed in quantum est identificata realiter cum natura divinâ: quæ quidem non secundum se obliga-

tur ad illam gubernationem; aliàs obligatio fuisset communis toti Trinitati; sed obligatur, prout terminans humanitatem persona Verbi.

RESPONDETUR. Adhuc sequi, quod immerito assumatur, eo modo teneri personam divinam, ad gubernandam specialiter humanitatem, quo obligaretur ipsa persona creata. Quia, ut dixi, ad id præstandum persona non obligatur, sed natura; persona autem non nisi denominativè. Rursus, quæro, quare non potest peccare humanitas assumpta? respondes; quia spectat ad gubernationem Verbi, ne peccet. Quæro, quare id spectat ad gubernationem Verbi? id jam non potes probare ex hoc principio; quia alia supposita ad id obligantur; vidimus enim illa ad hoc non obligari. Da ergo istius obligationis fundamentum. Quod autem anima obligatur ad dirigendas potentias inferiores, & Pater ad filium dirigendum; Prima Instantia apud nos locum non habet. Quia illa gubernatio est intransitiva, & per illam obligatur ipsa anima, seipsam dirigere, in quantum concipitur seipsa inferior, ratione effectuum & operationum, naturâ suâ inferiorum præ spiritualibus, & rationalibus. Hinc etiam, non nisi ipsa natura humana debet seipsam dirigere; sed non videtur, cur ad illam dirigendam obligetur persona divina, quâ talis, quâ scilicet terminans? Posito etiam, quod potentia animæ sint distinctæ realiter ab eadem; quamvis anima teneatur ad istam gubernationem specialem; teneatur item Pater, respectu Filii; non tenebitur tamen suppositum. Quia illa priora, quâ talia, habent se, respectu sibi subordinatorum; vitali modo; adeoque cum jure directivo; suppositum autem, quâ tale, mortuo se modo habet in ratione terminandi; consequenter manet, quâ tale, non in linea directivi. Rursus, si anima non gubernaret inferiores potentias, non haberent principium à quo gubernarentur: cum tamen gubernari desiderent; jam autem, quamvis nullum speciale gubernium, & huic non nisi Personæ Verbi annexum, respectu humanitatis tribuatur, non inde sequitur, nullum habendum jam principium gubernandi: esset enim ipsamet humanitas, quæ se gubernat. Hinc etiam actiones filii, tunc imputantur Patri, quando filius censetur non esse emancipatus, & nondum potis sui gubernandi; potest autem gubernare seipsam humanitas.

Formatur Ratio.

PROBATUR itaq; aliter 5. Conclusio. Quia & posset peccare humanitas terminata Verbo, ut supponitur: & non posset: quia si humanitas terminata Verbo peccaret, peccaret & Verbum; Verbum peccare non potest, ut est de fide: ergo nec humanitas terminata Verbo.

*f

Sequelæ

Sequela probatur. Quia humanitas terminata à Verbo non potest quicquam operari, quin operetur Verbum; ergo etiam casu, quo humanitas terminata Verbo peccaret, peccaret & Verbum. Antecedens probatur; quia actiones sunt suppositorum, nec potest Verbum, respectu unius actionis, complere substantialiter humanitatem, respectu alius non complere; quia respectu cuiuscunque actionis, prius est esse in ordine ad se completè, adeoque esse suppositum, quàm in ordine ad aliud, quale est agere. Et si fingas casum, quòd illa humanitas peccaret, sed non tribueretur hoc supposito; casum quidem incohærentem principiis etiam Philosophicis ponis; quia actiones sunt suppositorum; sed tamen jam concessibilem; in tantum enim implicat humanitatem illam peccare, in quantum sequeretur peccare tunc Verbum; & sicut amante humanitate Deum, amat Verbum, ex præcisa ratione terminandi, tanquam fundativa communicationis idiomatum; ita si per impossibile peccaret humanitas, terminata Verbo, peccaret Verbum, ex titulo ipsius illius terminationis.

RESPONDEBIS I. Deum, extra unionem hypostaticam, posse esse causam particularem permissionis peccati; ergo etiam potest esse, causa particularis permissionis peccati in humanitate.

CONTRA. Quicquid sit, de ly Particularis causa, cum permissio illa debeat potius in Deum referri ut causam primam; paritas tamen non tenebit. Quia vi permissionis, non sequitur verificatio hujus propositionis; Deus peccat, ut ostendunt alibi dicta; sequitur autem vi hujus, si humanitas terminata à Verbo peccaret, quòd etiam Verbum peccaret; nec se jam haberet merè permissivè, sed substantialiter, adeoque specialiter, complendo principium elicitivum actionis peccaminosæ. Et certè, antequam Verbum terminet naturam humanam, prævidere debet (ne cæco modo operetur) an illa humanitas sit peccatura, vel an possit peccare? & si, prævidendo, quòd sit peccatura, vel quòd posset peccare: vellet tamen terminare talem naturam Verbum, hoc ipso vellet peccare, vel vellet posse peccare, quòd Verbo implicat. Et quia peccare non potest, reddit illam naturam assumptam impeccabilem.

RESPONDEBIS 2. Impossibile est Deum peccare, extra assumptam naturam creatam, possibile tamen est Deum peccare, ratione naturæ assumptæ.

CONTRA. Quia jam non das omnem possibilem perfectionem Sanctitatis Deo, ita ut illi in nullo casu physicè reperibili conveniat, non habere sanctitatem; perfectior autem esset illa sanctitas, quam impossibile est peccare, etiam conjunctam substantialiter naturæ intellectualem creatæ.

RESPONDERI potest 3. Per multos, unio hypostatica cum fomite, vel cum errore, stare potest; nec potest dari regula universalis, cur aliqua possint convenire Verbo in humanitate, & aliquan non?

CONTRA. Regula hæc universalis haberi potest; nempe quòd in iis, quæ sunt dissona naturæ intellectuali, quæ tali, non possit communicare VERBUM, adeoque nec illa potest ponere humanitas terminata à VERBO. Vel si vis, potes dicere, quòd in iis communicare non possit VERBUM, quorum aliàs causa particularis, & cum inclinatione concurrens, aut operans, ob illorum dissonantiam, Deus esse non potest.

RESPONDETUR 4. Christum non esse primam regulam morum; & dari respectu illius deificas gratias.

CONTRA. Christus non est quidem regula prima morum, per identitatem; est tamen per unionem substantialem ad primam regulam; negaturque, respectu Christi, dari gratias deificas ad non peccandum.

RESPONDETUR 5. Potest unionem hypostaticam negare Deus, in pœnam peccati; quòd ostendit, non esse illam essentialiter impossibilem cum peccato; idque ideo, quia de ratione pœnæ est, ut pendeat à libertate infligentis illam.

CONTRA. Quamvis Deus necessariò operaretur, non apparet cur delinquentes contra se, punire non posset: consequenter, non est de ratione pœnæ, ut liberè infligatur. Deinde: potest in pœnam, negari unio hypostatica, non quæ præsupponatur habita, dum peccatur; sed habenda: & si negaretur in pœnam peccati unio, quæ supponeretur haberi, cum peccatur; hoc ipso supponeretur posse peccari cum unione: sed id à nobis non admittitur.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT I. Pontius. Voluntas Christi, ex se, ejusdem est rationis, ac nostra, ergo potest peccare sicut nostra, nisi determinetur necessariò per aliquid aliud: sed nec unio, nec aliud ita connexum cum unione determinat illam: Ergo non obstante unione, & omnibus ita necessariò connexis cum unione, poterit de potentia absoluta peccare. Subsumpta minor probatur. Unio secundum se considerata, non potest determinare ad non peccandum, nisi quatenus, ex se, esset incompatibilis cum peccato: vel quatenus, per modum causæ effectivæ, produceret actum oppositum peccato cuicunque: vel quatenus, per modum formæ, determinaret necessariò voluntatè, ad actum oppositum actui peccaminoso: nec enim plures modi excogitari possunt.